

1243, agost, 21

*Ramon de Bac, cavaller, reconeix tenir en feu per Jusiana, esposa de Pere de Cervera, el delme de Toralles.*

ASD núm. 132, còpia de 1283, 205 x 185 mm. Còpia; Llibre 22, núm. 34, ff. 46v-47;

Hoc est translatum fideliter sumptum a quodam instrumento per alfabetum diuiso, cuius tenor talis est. Notum sit cunctis quod ego Raimundus de Bacco miles, confiteor et recognosco tenere ad feudum pro uobis Iusiana domina uxore Petri de Ceruaria et pro castro uestro de Toraliis decimam et castlaniam totam quam habeo et teneo in tota parrochia Sancti Martini de Toraliis, et quicquid aliud in tota eadem parrochia habeo et teneo, preter mansum de Rouira, qui est meum alaudium, et preter mansum de Guarin et mansum Guilielmi de Pineda, quos duos mansos teneo pro castro. de Monteacuto. Item teneo ad feudum pro uobis et pro predicto castro uestro de Toraliis decimam quam habeo in parrochia de Duobuscheriis, de qua decima iam feci uobis alium instrumentum recognitionis qualiter eam pro uobis teneo ad feudum. Et ego Iusiana domina supradicta, per me et per omnes meos laudo et concedo tibi dicto Raimundo de Bacco et tuis in perpetuum totum iamdictum feudum quod pro me et pro castro meo de Toraliis tenes, cum omni proprietate et integri ta te sua et cum omnibus-melioramentis factis et faciendis, ad omnes tuas tuorumque uoluntates perpetuo faciendas, saluo in omnibus iure et dominio meo sicut consuetum est. Et promito tibi quod si aliquis racione domini in predicto feudo toto uel in aliqua parte illius aliquid demandauerit, ego et mei inde deffendamus te et tuos omni tempore bona fide.

Actum est hoc .xn. kalendas septembris anno Domini .MCCXL. terci o.

Sig+num Raimundi de Bacco, sig+num Iusiane, domine predicte, qui hoc firmamus et laudamus. Sig+num Guilielmi de Iuuiiano, militis. Sig+num Raimundi de Baynills de Castrofollito. Sig+num Bernardi de Pomerio, de Toraliis.

Petrus Sancte Marie (s. man.) qui hoc scripsit. (s. man.) Raimundus de Prato, gerens uices Bernardi de Prato, publici scriptoris Sancti Petri de Bisulluno, qui hoc subscribo. Eg(s. man. )o Bisullunus Burgesii, terrens locum Raimundi de Toylano, publici Gerunde notaria, hoc .xvn. kalendas nouembris anno Domini .MCCLXXX. tercio fideliter translataui et cum autentico comprobauit et etiam suprascripti in .v. linea, ubi dicitur "est". Ego Berengarius de Monello, iudex ordinarius ciuitatis Gerunde, uiso et perlecto originali et cum presenti trailslato fideliter comprobato, auctoritate iudiciali subscribo (s. man.).

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 270-271